

tus extinctam, sed remanere adhuc et vigere respectu eorum, qui sunt de capitulo. Et quamvis archipresbyter existimet se parochum absolute esse etiam respectu eorum, qui sunt de capitulo, tamen ei contradicit citatum testimonium curiae ecclesiasticae a vicario generali latum his verbis: „Nollem tamen archipresbyterum se absolute dicere respectu capituli, eo quod, ut ipse in sua responsione declarat, parochialis habitualis capituli abolita sit. Abolita quidem fuit respectu parochianorum ecclesiae metropolitanae, minime vero respectu capituli ipsius, cum semper et usque in praesens consuetudo vigerit et vigeat, ut archipresbytero absente ille qui in capitulo insigniori presbyteratus dignitate praefulget, infirmis sacramenta ministret et mortuorum funera ducat.“

Cum itaque ex dictis Metropolitanae Mediolanensis actis existat etiam ecclesia parochialis cum cura animarum eaque cura afficiatur archipresbyter, qui inibi est prima dignitas, *absolute et independenter a capitulo respectu parochianorum*, cumque ejusdem animarum curae sit munus sacramenta infirmis ministrare mortuorumque funus ducere, jam patet respectu parochianorum omnia haec praestanda esse ab archipresbytero utpote paroco, quia respectu parochianorum penes ipsum est cura habitualis imo et actualis. Sed cum parochialis seu cura habitualis respectu eorum, qui sunt de capitulo, inhaereat adhuc ipsi capitulo et sola insit paroco cura actualis et, ut ajunt, „in exercitio tamquam penes vicarium, cumque in hac hypothesis semper et usque in praesens consuetudo vigerit et vigeat, ut archipresbytero absente ille, qui in capitulo insigniori presbyterali dignitate praefulget, infirmis sacramenta ministret et mortuorum funera ducat,“ ex

hoc etiam consequitur, praedicta omnia in concursu dignitatum non ab episcopo auxiliari praestanda esse sed ab ipso archipresbytero utpote prima dignitate.

Quibus sic stantibus respondendum censeo: Spectare ad archipresbyterum in casu, attenta praesertim consuetudine.

S. C. resp.: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam servata tamen vigente consuetudine.

Die 19. Septembris 1859.

(Anal. J. P. 1861 pag. 1045.)

*Ad dub.:* An Canonicis sive Presbyteris aut Clericis adscriptis servitio Cathedralis et habitantibus in ambitu dictae Ecclesiae s. Nicolai in casu infirmitatis sacramenta sint ministranda a Vicario Cathedralis seu potius a Vicario Ecclesiae s. Nicolai?

S. C. resp.: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Die 24. Jan. 1767.

*Ad dub.:* An jus administrandi sacramenta infirmo Priori Collegiatae Ecclesiae s. Michaelis Archangeli et eidem mortuo funus peragendi spectet ad Canonicum sen. capituli ad confessiones approbatum seu potius ad Parochum vicinorem in casu etc.?

S. C. resp.: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Die 25. Jan. 1712. *Pisaur.*

*Ad dub.:* An Canonicus Colleg. habitans in domo sita intra fines alterius parochiae, ex quo dicta Ecclesia colleg. caret aedibus canonicalibus, teneatur in ultima infirmitate recipere sacramenta ab Ecclesia Colleg. vel potius a Paroco domicilii?

S. C. C. resp.: Affirmative quoad primam partem, negative quoad secundam.

Die 3. Dec. 1718 ad 15. *Derthon.*

*Ad idem dub.* S. C. C. resp.: Dilata et exhibeatur Breve Gregorii XV.

Die 14. Apr. 1725. *Derthon. III.*

De Canonicis aliisque Ecclesiae cathedrali addictis in aliena parochia habitantibus pluries resolutum fuit, jus administrandi eisdem infirmis sacramenta spectare ad solum Parochum domicilii seu habitationis, non vero ad Parochum Cathedralis *ut in Mantuana jurisdictionis 16. Martii 1680 ad IV. dubium, in Tyburtina juris administrandi sacramenta et funerandi 12. Maii 1765 ad I. dub., in Tolentinat. jur. paroch. 2. Sept. 1694 ad I. dubium et in Narnien. jurium parochialium 26. Septembris 1699 ad I. dubium.*

Et licet peculiaribus fortasse facti circumstantiis contrarium fuerit firmatum *in Derthonen. jurium parochialium 13. Decembris 1748 ad XV. dubium*, primaeva tamen sententia fuit approbata ac complexa *in Eugubina jurium parochialium 2. Aprilis 1729*, in qua proposito dubio: *An Paroco Cathedralis Eugubii licitum sit subministrare sacramenta quibuscumque Clericis et Sacerdotibus infirmis et in alienis parochiis commorantibus etiam private ad proprium parochum domiciliarium?* responsum fuit: *Negative et spectare private ad Parochos domiciliarios et amplius: et ita quoque censuit s. Congr. Rituum in sancti Severini Praeeminentiarum 13. Martii 1756.*

(Ex resol. S. C. C. diei 19. Sept. 1778. *Avenionen.*)

Januen. In Oppido Clavarii Januensis Ducatus duae exstant paroeciae, altera dicata s. Joanni Baptistae, altera s. Jacobo Apostolo, quarum prima labente anno 1823 a SS. D. N. Leone XII. in insignem Collegiatam erecta. Cumque rumor incesserit, Canonicos novae Collegiatae sibi asserere jus deferendi viaticum Canonicis extremo morbo laborantibus, quamvis extra limites paroeciae s. Joannis Baptistae lares habitibus eorumque funera in Collegiata Ecclesia explendi et ibi cadavera tumulo condendi, Rector parochialis Ecclesiae s. Jacobi ad jura sua tuenda jurgiaque facile oritura praecedenda hunc adit s. ordinem, ut controversias dirimere dignaretur.

Archiepiscopus de sua sententia rogatus rationum momenta a Canonicis exhibita transmisit votumque suum aperiens inquit: „Quanti eae rationes habendae sint sapientiae prudentiaeque BE. VV. erit judicare. Nos quantum cum Domino possumus preces et vota laudati Capituli vestro patrocinio commendamus, quatenus, quod secundum juris regulas haud licere fortasse conspicitur, id ex apostolicae Sedis privilegio Clavarensi Collegiatae concedatur.“ Huic Archiepiscopi voto concinit vetusta Ecclesia disciplina; antiquitus enim Clerici omnes servitio alicujus Ecclesiae mancipabantur eique adeo haerebant, ut plures editi sint canones ad eos redarguendos, qui a sua Ecclesia discederent, ut alteri inservirent. Quae quidem etiamsi hodie remissius obtineant, nihilominus Clerici perpetuo alicujus Ecclesiae servitio addicti ac titulum beneficii residentialis in ea habentes censentur filii et parochiani illius Ecclesiae, in qua jugiter spiritali pabulo reficiuntur et divina audiunt aut peragunt, non autem paroeciae, ubi retinent lares,

arctius siquidem Ecclesiae, ubi sacramenta percipiunt et divina audiunt, quam parociae, in qua domicilium constituerunt, conjunguntur, *Amostaz.* de caus. piis lib. 6. cap. 2. n. 10., *Franc.* de Eccl. Cath. cap. 17. n. 14., s. Congr. in Andrien. 20. Decembris 1766 §: Eventiente.

Ex hoc vinculo Clericorum cum Ecclesia, in qua beneficium possident residentiale, duo veluti sua sponte consequi autumant Canonici Oratores.

1. Scilicet Parocho Ecclesiae Collegiatae s. Joannis Baptistae jus esse sacramenta ministrandi Canonice aegrotis, licet in aliena parochia degentibus; nam Canonici sive intra limites parociae, cui fuerunt adscripti, sive in aliena parochia domum habeant, ibi domicilium ratione beneficii cum residentia contrahunt, ubi residere tenentur, *Bursat.* consil. 226. n. 18., *Reiffenstuel* jus canon. lib. 3. tit. 28. num. 15. Hinc s. Congregatio in Derthonen. 3. Decembris 1718 proposito dub. XV: An Canonicus Ecclesiae Collegiatae habitans in domo sita intra fines alterius parociae, ex quo dicta Ecclesia caret aedibus canonicalibus, teneatur in ultima infirmitate recipere sacramenta ab Ecclesia Collegiata vel potius a Parocho domicilii? responsum dedit: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

2. Canonicum sepulchro majorum destitutum nullave sibi electa sepultura decedentem intra limites alterius parociae sepeliendum esse in Ecclesia Collegiata. Statuunt enim jura illos, qui sepulturam non elegerunt, humo esse tradendos, ubi officia consueverunt audire divina et ecclesiastica recipere sacramenta, cap. 1. et 4. de sepult. cap. 2. eod. tit. in 6. Quoties namque agitur de Sacerdotibus aut Clericis perpetuo alicujus Ecclesiae

addictis et titulum in ea retinentibus, qui propterea ita sunt conjuncti cum sua Ecclesia, ut sint cum illa cor unum et anima una, *Franc.* de Eccl. Cath. cap. 17. num. 17., *Rota* in Hydruntina sepulturae 27. Novbr. 1713 cor. Ansaldo, aequum videtur, ut si omnes Clerici, quos cum eadem Ecclesia unicum vinculum devinxerat et quorum viventium una mens in domino erat, post eorum obitum nec inter se separentur, sed in eadem Ecclesia insimul condantur, *Reiffenstuel* lib. 3. decret. tit. 28. num. 14. *Pirhing.* jus canon. lib. 8. tit. de sepult. num. 9.

Haec tamen haud sibi obesse contendit Parochus s. Jacobi. Quidquid enim antiqua Ecclesiae disciplina suaderet ac praesertim in iis locis, ubi parochiales Ecclesiae certos non habebant limites nec earum Rectores proprium populum, quem regerent, nihilominus post Tridentinam Synodum, quae sess. 24. cap. 13. de reform. praecepit Episcopis, ut distincto populo in certas propriasque parochias unicuique suum perpetuum peculiaremque Parochum assignarent, qui eas cognoscere valeret et a quo solo licite sacramenta susciperet, dubitari nequit Parocho dumtaxat domicilii nec ulli alii extra necessitatis eventum fas esse sacro oleo aegrotantes sive laicos sive Clericos inungere illisque ss. Corporis Christi viaticum ministrare, *Bened.* XIV. de Synod. dioec. lib. 8. cap. 5. n. 7., *Reiffenstuel* loco cit. n. 17. Hanc legem ab Ecclesiis quoque Collegiatis et Cathedralibus servandam dixit s. Congregatio in Mantuana jurisdictionis 16. Mart. 1689, in Tiburtina juris administrandi sacramenta 12. Maii 1685 et alibi passim, ut videre licet in Viterbien. juris tumulandi 10. Maii 1766 §: Dubitatum. Et licet contrarium ex peculiaribus fortasse circumstantiis dixerit in Der-

thonen. jurium parochialium attamen praecedentem sententiam instauravit in Eugubina jur. parochialium 2. Apr. 1729 etiamsi Canonici Cathedralis Ecclesiae consuetudine ac sanctae dioecesanæ synodi inniterentur uti monet folium in Avenion. jurium parochialium 1. Martii 1766. §: de Canonice, iterumque decrevit in Andrien. 24. Januarii 1767. Proposito siquidem dub. V: An Canonice sive Presbyteris aut Clericis adscriptis servitio Cathedralis et habitantibus in ambitu Ecclesiae s. Nicolai in casu infirmitatis sacramenta sint ministranda a Vicario Cathedralis seu potius a Vicario Ecclesiae s. Nicolai in casu etc.? respondit ad V: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam, et die 19. insequentis Septembris stetit in decisio et amplius.

Similiter quod pertinet ad tumulationem, contendit Parochus cadavera Canonice nullam electa sepultura decedentium esse humanda in parochia domicilii nisi in Collegiata proprium extet Canonice sepulchrum vel familiae sepultura, ut docuit s. Congr. in Avenionen. jurium parochialium 1. Martii 1766 §: Eos, et in Avenionen. 19. Septembris 1778. §: Hinc. Si enim peculiarem Collegium Canonice sibi non condiderit sepulturam, praesumi nequit Canonicum defunctum ibi sepulturam elegerit, ubi proprium pro consortibus sepulchrum non fuerat excisum. Quocirca s. haec Congregatio in Derthonen. jurium parochialium 3. Decembris 1718 rogata: An Canonicus Ecclesiae Collegiatae habitans in domo sita intra fines alterius parociae decedens non electa sibi sepultura debeat sepeliri in Ecclesia Collegiata vel in parochia domicilii? responsum dedit ad XVI: Affirmative, dummodo adsit sepulchrum Canonice. Eademque nuper protulit in s. Miniatis jurium parochialium 24.

Novembris 1821 ad 11. dubium. Jam vero in Collegiata Clavari nullum adest a Canonice exstructum sepulchrum pro iis, qui sunt chori servitio addicti ac propterea subdit Parochus cadavera Canonice in parochia domicilii sunt condenda.

Dignentur itaque Emi Patres ea, qua pollent, juris peritia dirimere

Dubia.

I. An et ad quem spectet jus ministrandi sacramenta Canonice aegrotanti in casu?

II. An Canonicus habitans extra parochiam Collegiatae decedens non electa sibi sepultura nulloque praeditus Majorum sepulchro sepeliri debeat in Ecclesia Collegiata in casu?

S. C. resp. ad I: Affirmative ad Parochum domicilii.

Ad II: Negative.

Die 16. Junii et 21. Julii 1827.

13) Portandum ad Cardinales.

Qui aegrotanti Cardinali assistent, si ille morbo oppressus ejus rei non meminisset, curent diligenter, ut in tempore ecclesiastica sacramenta non clam sed publice administrantur et dum in extremis laborare incipit, advocent executores, qui decedentem solitis officiiis consolentur et bonorum omnium descriptionem faciant eaque fidei ministris et in locis tutis custodienda committant. Executores in domo decedentis convenientes, quae ad salutem seu consolationem animae illius pertinent, in primis procurabunt ordinabuntque, ut viri religiosi psallentes et orantes morientem circumstant; administrationi et curae domus praeficiant aliquem ex suis, qui cum officialibus domus familiam gubernet pacifice et

quite et necessaria provideat; indeque ad deducendum funus, quae opportuna sunt, statuunt; et comittant alicui docto viro, ut orationem funebrem meditetur.

*Catalanus* (Caeremon. Eccles. rom. tom. I. pag. 187.)

#### 14) Portandum infra missam.

Vd.: *Missam* (interruptio per adm. Viaticum); *Pileolum in portando s. Viatico*; *Oratorium* (Missam etc. decr. n. 4782). *Viaticum* (param.)

#### 15) Portandum in fer. VI. Parasceve.

Non est reprobandus parochus, qui defert SS. Viaticum infirmo fer. VI. in Parasceve, dummodo private et submissa, quinimo submississima voce recitat psal. consuetos per vias publicas, etiam dicat: *Gloria Patri* etc. quia in tali circumstantia actio talis nihil habet esse cum functionibus Ecclesiae hujus diei, et considerandum est quod defert cum stola atque pluviali albi coloris, quando in fer. supradicta color paramentorum est niger pro Ecclesiae functionibus; ideoque si defert privatim pro aliqua necessitate, non est reprobandus, si populum absque benedictione dimittat fer. VI. in Parasc., quia in publica Ecclesia non debet recondi. n. 4170. die 15. Maii 1745.

Vd.: *SS. Sacram. Euch.* (Distrib. in Parasc.), *Sepult. Sacerd. def.* (decr. *Tornacen*); *Sepult. Cleric.* (t. III. p. II. pag. 18.)

#### 16) Portand. ad Sacerdotes aegrotos.

*Ad dubium*: Quaeritur: an in administrando Viatico s. aegrotanti Sacerdoti aliquis sit ritus specialis diversus a ritu praescripto a Rituali rom. „de Communione infirmorum,“ ut innuere videtur Caer. Ep. l. 2. c. 38. n. 3. 5. dicens: *Profitetur Episcopus* aegrotans catholicam fidem ex formula ab apostolica Sede prae-

scripta, et quatenus affirmative, utrum servari possit sequens ritus, qui legitur in quodam Rituali.

1. Paratis omnibus, ut in Rituali romano de Communione infirmorum, Sacerdos infirmus ss. Eucharistiam sumpturus induatur superpelliceo et Stola albi coloris in collo pendente.

2. Deinde Sacerdos ministrans domum ingrediens dicat: *Pax huic domui* etc. ut in Rituali romano de Communione infirmorum usque ad Antiphonam: *Asperges me* inclusive etiam repetitam et reversus ad SSimum Sacramentum genuflectat et stans dicit V.: *Ostende nobis Domine misericordiam tuam*. R. *Et salutare tuum da nobis*. V. *Salvum fac servum tuum*. R. *Deus meus sperantem in te*. V. *Mitte ei auxilium de Sancto*. R. *Et de Sion tuere eum*. V. *Nihil proficiat inimicus in eo*. R. *Et filius iniquitatis non apponat nocere ei*. V. *Esto ei Domine turris fortitudinis*. R. *A facie inimici*. V. *Domine exaudi orationem meam*. R. *Et clamor meus ad te veniat*. V. *Dominus vobiscum*. R. *Et cum spiritu tuo*. Oremus. *Deus infirmitatis humanae singulare praesidium auxilii tui super infirmum nostrum ostende virtutem, ut ope misericordiae tuae adjutus Ecclesiae tuae sanctae incolumis repraesentari mereatur. Per Christum Dominum nostrum*. R. *Amen*.

3. Finita oratione genuflectit Sacerdos ministrans et accedit ad infirmum, a quo professionem fidei exegit dicens: *Frater carissime, (si sit superior: Reverende Pater) oportet in testimonium fidelissimi animi tui, ut catholicam fidem, quam semper tenuisti, nunc ss. Eucharistiam sumpturus profitearis*. Dic ergo *Credo in Deum* etc. id est Symbolum Apostolorum. Si infirmus Sacerdos prae infirmitate nequeat Symbolum recitare, alter ejus nomine illud integre recitet.

4. Recitato symbolo sacerdos ministrans, si placet, adhortatur infirmum sacerdotem.

5. Facta exhortatione vel recitato symbolo, si non sit exhortatio, ipse infirmus sacerdos vel alter ejus nomine peccatorum confessionem faciat dicens: *Confiteor*; quo dicto mox sacerdos ministrans dicet: *Misereatur etc. Indulgentiam etc.* Tum accedet ad infirmum s. pyxide discooperta et incipit hymnum: *Te Deum*, quem sacerdotes et clerici circumstantes recitabunt alternatim usque ad hunc verbum inclusive: *Fiat misericordia etc.* Tunc sacerdos ministrans sumit sanctam Eucharistiam intra digitos, quam ostendit infirmo, qui silentibus aliis dicit: *In te Domine* etc. Quo peracto sacerdos ministrans dicit: *Ecce Agnus Dei* etc. ut in Rituali romano de Communione infirmorum.

S. eadem C... respondendum censuit:

„Negative in omnibus.“

Atque ita rescripsit. N. 5221 ad 10. Die 21. Julii 1855.

Jus administrandi Sacramenta Canonice et Beneficiatis Ecclesiae Cathedr. infirmis et habitantibus in alienis parochiis spectat ad Parochum Cathedr.

S. C. C. 16. Mart. 1680; 12. Maii 1685; 11. Sept. 1694; 17. Sept. 1695; 26. Sept. 1699.

Administrare sacramenta Canonice colleg. sine cura animarum ad parochum spectare, in cujus districtu Collegiata posita est, nisi Collegiata gaudeat ap. privilegio.

N. 2209 ad 5. die 17. Mart. 1663.

*Ad dub.*: An presbyteris seu clericis adscriptis servitio dictae Ecclesiae s. Nicolai et habitantibus in ambitu Ecclesiae Cathedralis in casu infirmitatis sacramenta sint administranda a Vicario dictae Ecclesiae s. Nicolai seu potius a Vicario Cathedralis?

S. C. resp.: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Die 24. Jan. 1767.

Vd.: *Sepultura cleric.* (tom. III. pars II. pag. 18.)

#### Eugubina.

Monachi Olivetani Congregationis Eugubinae supplicarunt definiri: an liceat Canonicis Cathedralis Ecclesiae Eugubinae administrare sacramenta presbyteris in eorum parochia degentibus absque eorum expressa licentia? Item an dicti Canonici possint jure praelendere quartam funeralium pro decedentibus in ipsorum monachorum parochia in praejudicium ipsorum oratorum?

Et sacra Congregatio respondit: Negative in omnibus contra Canonicos.

Die 30. Septembris 1628.

(Anal. J. P. 1863 pag. 207.)

#### Eugubina.

(Conc. Tr. C. 13. S. 24. De ref.)

Exemplo Summi Pontificis s. Evaristi, qui juxta veriorem opinionem inchoante secundo saeculo parochiarum divisionem demandavit, quam postmodum sub Valeriani prosecutione suppressam s. Dionysius in fine tertii saeculi terum explevit seu verius restituit, ut ex sua epistola relata in can. „Ecclesias“ 15. quaest. 1., et post alios observat *Eminentissimus Petra ad constit. 2. Gregor. XI. n. 11. tom. 4.* quamque etiam s. Tridentina

Synodus per generale decretum ubique locorum fieri praescripsit in sess. 24. cap. 13. de ref. Hoc inquam exemplo et praecepto fere omnes ecclesiarum antistites ante vel post concilium eandem executioni demandarunt distinguendo populum in certas propriasque parochias ac unicuique suum perpetuum peculiaremque parochum assignando, a quo licite sacramenta accipi deberent, ut de origine et divisione parochiarum in provinciis tam orientalibus quam occidentalibus late disserit Filisacus de origine paroec. cap. 4. per tot.

Inter alios, qui hoc pastorale munus fideliter adimpleverunt, fuit Cardinalis Marcellus Cervinus nuncupatus s. crucis et deinde ad summi Pontificatus apicem evehctus, retento eodem nomine Marcelli II. Iste enim anno 1545, dum Ecclesiam Eugubinam regebat, ad removenda scandala, quae ob parochiarum confusionem fuerant in civitate exorta, easdem ad magis distinctam separationem reduxit assignando unicuique et praecipue Ecclesiae cathedrali proprium et distinctum territorium cum certis et determinatis limitibus ac districte inhibendo ne ullus rector alterius parochiam ingredi praesumeret pro administrandis sacramentis.

Ecclesia tamen Cathedralis seu illius parochus vel in vim matricitatis ac superioritatis competentis Ecclesiae Cathedrali tanquam universali parochiae totius civitatis et dioecesis vel ratione antiquae consuetudinis semper contendit exercere privative nonnulla jura parochialia etiam in alienis parochiis et praecipue dandi benedictionem circa corpus in domo defuncti et obtinendi praecedentiam in associatione cadaverum ad Ecclesias sepelientes necnon administrandi sacramenta quibuscunque clericis et sacerdotibus infirmis quamvis in alienis parochiis degentibus.

Delata tamen controversia circa primum punctum benedictionis cadaverum et praecedentiae in associatione ad s. Congregationem rituum, inter praedictum parochum Cathedralis et parochum s. Petri Congregationis Olivetanorum die 5. Julii 1614 s. Congregatio ita declaravit: Non esse probatam consuetudinem et idcirco terminandam esse causam secundum jus commune, videlicet quod quando quis in una parochia moritur et in alia sepelitur, benedictionem in domo mortui faciat circa corpus proprius parochus, qui stolam deferens a domo defuncti usque ad Ecclesiam, in qua corpus sepellendum erit, aliis omnibus praecedere debet, in Ecclesia vero, in qua corpus sepelitur, officium faciat circa corpus et aliis praecedat parochus ipsius ecclesiae et ita ut supra in Civitate Eugubina inter Curatum Ecclesiae Cathedralis et Curatum s. Petri monachorum Olivetanorum servandum esse censuit et declaravit atque servari mandavit quibuscumque non obstantibus; et hoc decretum refert etiam *Panimoll. dec. 1. adnot. 10. n. 18.*

Examinata subinde in eadem sacra Congregatione rituum alia quaestione inter easdem partes super administratione sacramentum clericis et presbyteris infirmis et pariter contra parochum Cathedralis sub die 30. Septembris 1628 rescriptum fuit, prout adnotatur in regestis decretorum ejusdem Congregationis, scilicet: „*Monachi Olivetani Civitatis Eugubinae supplicarunt definiri: an liceat Canonici cathedralis Ecclesiae Eugubinae administrare sacramenta presbyteris in eorum parochia degentibus absque eorum expressa licentia? Item: An dicti Canonici possint jure praetendere quartam funeralem pro decedentibus in ipsorum monachorum parochia in praedictum ipsorum oratorum? Et sacra Congregatio respon-*

dit: Negative in omnibus contra Canonicos.

His non obstantibus continuavit parochus Cathedralis in hac administratione sacramentorum clericis et sacerdotibus infirmis in alienis parochiis commorantibus, licet aliquando reclamantibus et aliquando protestantibus reliquis parochis civitatis, immo haec privativa administratio sacramentorum favore parochi Cathedralis approbata et confirmata fuit in Synodo Eugubina celebrata anno 1632 sequenti decreto: „Illud etiam decretum confirmandum et renovandum esse duximus, saepius in synodis praecessorum nostrorum evulgatum, nimirum ad solum Ecclesiae cathedralis parochum infirmis clericis aliisque sacerdotibus saecularibus aegrotantibus et in quacunque parochia existentibus omnium sacramentorum administrationem spectare et pertinere, quippe quod immemorabilis temporis consuetudine satis superque vallatum et firmatum esse comperimus; quocirca decernimus et statuimus, parochum praedictum a nemine in praefato suo ministerio molestari posse; si qui vero quidquam in contrarium attentare praesumpserit, poenis arbitrato nostro afficietur.

Anno vero 1694 introducto ex parte parochorum civitatis iudicio eorum Ordinario adversus hanc privativam administrationem sacramentorum praetensam a praedicto parochio Cathedralis succubuerunt in iudicio manutentionis mediante decreto, quo idem Ordinarius declaravit, manutenendum esse parochum Cathedralis in sua quasi possessione administrandi sacramenta clericis et presbyteris infirmis in quacunque parochia existentibus; devoluta subinde causa in gradu appellationis ad hanc sanctam Congregationem ac assumpto nomine boni juris in Congregatione habita die 12.

Novembris 1695 rescriptum fuit: Coadjuventur probationes, ad quem effectum dentur literae compulsoriales hinc inde et interim manutenendum parochum Cathedralis.“

Existimantes autem praefati parochi absque ope literarum compulsorialium et remissorialium eorum bonum jus satis elici posse ex supradicto decreto sacrae Congregationis rituum nuper reperto ac etiam ex aliis probationibus aliunde conquisitis, quae immemorabilem seu centenariam possessionem ex parte parochi Cathedralis praetensam et constitutiones synodales evertere valeant, subscribi et proponi hodie curarunt infrascriptum dubium.

Adsunt plura decreta hujus sacrae Congregationis, quibus praecise ab observantia et in solo puncto juris resolutum fuit: Jus administrandi sacramenta Canonice et beneficiatis Ecclesiae cathedralis infirmis et habitantibus in alienis parochiis spectare ad parochum domicilii seu habitationis, non vero ad parochum Cathedralis, ut in Mantuana jurisdictionis 16. Mart. 1680 ad quartum, in Tyburtina juris administrandi sacramenta et funerandi 12. Maii 1685 ad primum, in Tolentinaten. iurium parochialium 11. Septembris 1694 ad primum, in Novarien. juris administrandi sacramenta 17. Sept. 1695 ad primum et in Narnien. iurium parochialium 26. Sept. 1699 ad primum.

Jura parochi Cathedralis non adhuc sunt deducta, dignabuntur itaque EE. VV. summa qua pollent sapientia discernere:

*An parochio Cathedralis Eugubinae licitum sit subministrare sacramenta quibuscunque clericis et sacerdotibus infirmis et in alienis parochiis commorantibus etiam privative ad primum parochum domiciliarium?*